

aut personam prius habilem reddidit inhabilem, non mutat materiam Sacramenti Matrimonii formaliter sumptam; quia semper remanet, quod sit consensus legitimus; sed tantum materialiter, in quantum fecit, quod res, quae erat materia, iam non sit res, quae sit materia, quia eam rem in aliam immutavit. Mutaret autem formaliter, si faceret, ut, quod prius erat materia, manens immutatum desineret esse materia, v. gr. aqua manens aqua, consensus legitimus manens legitimus non sint materia Baptismi vel Matrimonii; quod non fecit Ecclesia. Ita argumentatur Camillus Campegius Dominicanus in Concilio Tridentino ceteri Patres.

§. II. Variæ difficultates circa Matrimonia clandestina & praefatum Tridentini Decretum resolvuntur.

Petes 1. Quis & qualis sit Parochus in praesenti materia? R. 1. Nominè Parochi hic intelligitur omnis, qui habet jurisdictionem ordinariam in contrahentes, qualem habet Papa in tota Ecclesia, Episcopus & ejus Vicarius Generalis in sua Diocesi, Archiepiscopus in tota Provincia, dum actu visitat, Curatus in Parochia, &c. R. 2. Non est opus ad valorem Matrimonii, quod Parochus sit Sacerdos. Ita declaravit S. Congreg. Concilii ann. 1595, approbante Clemente VIII. ut videre est apud Dianam p. 11. Tract. 3. Resol. 32. Unde, quando Concilium dicit: *Præsentem Parochum, vel alio Sacerdote, facies hunc sensum: Vel alio, qui sit Sacerdos*, nihil determinando, an Parochus debeat esse Sacerdos: ita saltem communior sententia; quamvis opposita sit in praxi tutor, R. 3. Nihil refert ad valorem Sacramenti, an Parochus sit excommunicatus, irregularis, suspensus, aut interdictus, sive ipse assistat, sive alteri Sacerdoti committat; quia non est ibi actus jurisdictionis, sed merè praesentia. Ita declaravit S. Congregatio tempore Cardinalis Matthaei, re diligenter examinata, apud Fagnanum in cap. *Littera, quas de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae*. Secus autem, si Parochus esset publicus Haereticus in loco, ubi Trident. est promulgatum; quia hoc ipso privatur Beneficio, & desinit esse Parochus. Similiter, si sit Parochus intrusus sine titulo colorato.

R. 4. Ad valorem Matrimonii sufficit praesentia unius Parochi, etsi contrahentes sint diversae Parochiae: quia Trident. requirit praesentiam Parochi, non Parochorum. Usus quidem invaluit, ut adhibeatur ille, in cujus Parochia celebratur Matrimonium; sed & alium sufficere, declaravit S. Congregatio Concilii apud Fagnanum in cap. *Quod nobis de clandest. desponsat*. Imò, etiam Matrimonium contraheretur extra Parochiam utriusque contrahentis, & quidem in alia Diocesi, validè tamèn conjungeret alterutrius Parochus; quia non est actus jurisdictionis, saltem contentiosae: illicitè tamèn ageret, si aut publicè & cum strepitu, aut invito Parocho loci, procederet; quia prohibitum est exercere ea, quae solemnitatem requirunt, in alieno territorio.

R. 5. Proprius Parochus in hac materia non est tantum ille, qui est proprius loci, ubi contrahentes habent fixum domicilium, aut quasi domicilium, hoc est, habitationem per majorem anni partem; sed etiam ille, qui est proprius loci, in quo habent simplicem habitationem, quamvis non intendant diù ibi habitare: modò tamèn non sint ibi solius recreationis causa, vel ad ruralia exercenda, vel alia brevi causa, statim ad suum domicilium reversuri. Ita declaravit Congregatio Concilii, refert Fagnanus in cap. *Significavit de Parochis & alienis Parochianis n. 30. his verbis: Cum vir & mulier Trajectenses, timentes impedimentum a Parentibus, ad vicinam urbem Aquigranensem se contulissent, & ibi aliquandiu morati Matrimonium contraxissent, S. Congregatio, consulta super validitate, censuit exprimentum tempus, quo contrahentes Aquigrani manserunt; quod si fuerit saltem unius mensis, dandum esse decisionem pro validitate; aliàs de novo referendum in Congregatione*. Hinc studentes in aliqua universitate, Tyrones officiorum, famuli, mercatores in Emporiis, milites praesidarii, & ii, qui causa belli, aut petis habitationem mutant, validè contrahunt coràm Parocho illius loci, in quo habitant: nec est necesse, ut majore parte anni habitaverint, sed statim ac habitare incipiunt, efficiuntur Parochiani, non minus quoad Matrimonium, quam quoad alia Sacramenta suscipienda. Ita Sylvius post Sylvestrum, Sanchez, Angelum, Sa. Idem Henricus a S. Ignatio. Qui verò duplicem habent Parochiam habitationis, possunt coràm alterutro contrahere: quamvis tamen sit consultus & tutus, assumere Parochum illius loci, in quo habitant tempore Matrimonii.

P. 6. Vagabundorum, qui certam sedem non habent, proprius Parochus est ille istius loci, in quo se reperit, & ubi Confessionis & Eucharistiae Sacramenta possunt recipere: quia nullus est alius eorum proprius Parochus. Verùm Concilium Trident. ut obviret inconveniensibus, quae ex talibus Matrimonii vagorum evenire solent, praecipit sess. 24. c. 7. ne Matrimonii

illorum intersint Parochi, nisi, post inquisitionem diligenter factam, obtinuerint licentiam ab Ordinario. Si tamèn de facto assisterent absquè tali licentia, quamvis peccarent, Matrimonium valeret; quia lex Concilii est prohibens, non irritans, & illi Sacerdotes sunt tam Parochi illorum vagorum, quam Episcopus sit eorum Ordinarius. Ita Sylvius cum Ledesma, Henriquez, & Sanchez.

R. 7. Quando Parochus dat alteri licentiam assistendi, talis licentia debet esse exterius & prius concessa, nec sufficit rati-habitio. Insuper delegatus debet esse Sacerdos. Item debet eam acceptasse per se, vel per alium.

Petes 2. Quae & qualis praesentia, tam Parochi, quam Testium requiratur, R. 1. Non sufficere naturalem, quomodò bestiae possunt esse praesentes; sed necessaria est humana & moralis, qua scilicet non tantum adsint corpore, sed etiam scientia, & advertant quid agatur: quia idèd a Concilio requiruntur, ut possint de contractu testificari. Et insuper Parochus requiritur, ut representans personam Ecclesiae, ut sic possit dici Matrimonium contractum in facie Ecclesiae. Facies autem Ecclesiae non aliud est, quam ipsius Ecclesiae per Parochum representatæ conspectus, contractum fieri intelligens & advertentis, cap. *Quod nobis*, de clandest. desponsat. Hinc Matrimonium, contractum coràm Parocho, aut testibus amentibus, ebriis, dormientibus, non esset validum. Idem videtur tutius dicendum, si quidem possent advertere & intelligere, per affectionem tamèn reverà non intelligerent, puta, quia obstruerent aures, clauderent oculos: quia tunc non valeret testificari de validitate contractus. Equidèm Fagnanus refert declarationem Cardinalium contrariam, sed non constat, ut dicunt alii, esse instructam conditionibus ab Urbano VIII. requisitis, ut fides faciat.

R. 2. Sufficit praesentia Testium & Parochi, etiamsi vi, metù, dolo, stultitia, v. gr. sub alio praetextu vocari, quantumvis reniterentur, aut affectarent non videre, aut intelligere, modò tamèn intelligant, ut dicebamus modò; quia tunc est Matrimonium verè contractum coràm Parocho & Testibus, qui possunt illud certificare. Idem dicendum, si casu fortuito adessent, v. gr. transeundo, convivendo, celebrando, aut aliquid aliud agendo, modò tamèn contrahentes utantur ea praesentia in hunc finem: aliàs enim, si non attendentes ad Parochum & Testes praesentes contraxissent, licet illi casu, puta transeundo, contractum observassent, non valeret Matrimonium; quia debent formaliter adhiberi ad hunc finem, ut declaravit S. Congregatio Cardia. Concilii Trident. ann. 1591. 29. Augusti. Censentur autem adhiberi formaliter in hunc finem, quando coràm ipsis, et si fortuito praesentibus, aut alia de causa supposita vocatis, contrahentes intendunt coràm ipsis verba serio proferre, & contractum inire. Et sic intelligi debet Declaratio Congregationis apud Fagnanum, quae posset huic resolutioni opponi; eò quod dicat non sufficere, si per accidentem tantum praesens Parochus, puta, causa convivendi, confabulandi, &c. Non enim censentur adhiberi, & praesentes per accidentem, sed formaliter in finem debitum, quando contrahentes intendunt coràm ipsis contrahere.

Petes 3. Quales esse debeant Testes? Non esse necessarium, ut illi Testes sint omni exceptione majores, sive ut habeant qualitates, Jure in aliis negotiis requisitas; sed sufficere quoscumque, qui possint intelligere & intelligant, quid contrahentes dicant & faciant. Unde adhiberi possunt consanguinei, feminæ, impuberes, amici, infideles, infames, excommunicati, boni, & mali. Ratio est. 1. Quia, licet Concilium poterit requirere testes omni exceptione majores, non tamèn requisivit, ut patet ex textu, & testatur quotidiana praxis. 2. Quia aliàs ob testium qualitates Matrimonia forent magis ambigua, quam antè Trident. & infinitæ lites circa illa moverentur.

Petes 4. An aliquibus casibus valeant Matrimonia clandestina & quibus? R. 1. Matrimonia clandestina, contracta in locis, ubi non fuit promulgatum Decretum Concilii Trident. ab Incolis illarum Regionum, sunt certò valida: Patet, quia Concilium sess. 24. c. 1. *Decernit, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ, enumerandos: ergo ante illud tempus non habet robur, &c. R. 2. Incolæ locorum, ubi viger, & publicatum fuit Decretum Concilii, validè contrahunt clandestinè in his locis, ubi non fuit promulgatum, si reverà in eis habitent, quamvis in fraudem; quia per habitationem eximuntur a legibus suæ patriæ, & subduntur legibus locorum, in quibus sunt. Et ita declarasse Urbanum VIII. ann. 1627. 14. Augusti refert Mangart cum ejus Bulla, in sua praxi Pastoralis p. 2. cap. 4. Neque obstat, quod frus nemini patrocinatur: non enim eis frus patrocinatur quoad validitatem Matrimonii, sed ipsa eorum conditio, seu habitatio, qua fit, ut possint iuribus talis loci, in quo habitant: fraudulenter quidem egerunt eo fine mutare habitationem, sed non idèd postea irritum est, quod agunt, quan-*

quando illic verè habitant, & talis Ecclesiae sunt Parochiani.

R. 3. Imò probabilius videtur, merè peregrinis & transiensibus in praefatis locis validè contrahere clandestinè, excepta tamèn pro illis fraude & dolo: Ratio est; quia peregrini possunt se conformare legibus locorum, per quae transeunt, nec legibus suæ Patriæ, v. gr. Festorum, Jejuniorum tenentur, idque sive Juris interpretatione, sive tacito consensu Legislaturum. Et certè numquid tenentur legibus loci, in quo sunt, v. gr. Jejuniorum, Festorum, imò & solemnitatis Matrimonii, si illic vigeret. Congruum ergo videtur, ut eximantur a legibus loci, in quo non sunt, juxta illud, qui sentit incommodum, sentiat & commodum. Ita noster Gonet post Pontium, Sanchez, & alios; idem Henno. Nec argumenta, quae in contrarium addert Sylvius, videntur convincere. Dixi: *Excepta fraude*; quia, cum tales, non jure quodam per habitationem acquisito, sicut praecedentes, sed tacito consensu Superiorum potantur privilegiis locorum, in quibus sunt, æquum non est, nec verisimile, Legislaturam sua benignitate & consensu dolois & fallentibus annuere & patrocinari. Et quidem hac in re suam Ecclesiam mentem aperuit, dam Cardinales Trident. Interpretes, a Ferdinando Leonidensi Episcopo consulti responderunt Matrimonium in nostro casu, supposita fraude, nullum esse; quod confirmavit Urbanus VIII. praefata Bulla cit. apud Mangart & Henricum a S. Ignatio n. 346.

R. 4. Si duo contrahentes sint diversarum Parochiarum, in quarum una fuit publicatum Decretum Concilii, & non in altera valet Matrimonium clandestinum, si fuerit celebratum in Parochia, in qua Decretum non fuit promulgatum. Ita censet Gonet, citans declarationem Cardinalium n. 67. & Henricus a S. Ignatio Ratio est; quia contractus quoad valorem sequitur leges loci, in quo celebratur, cap. finali de foro competentis.

R. 3. Matrimonium, clandestinè contractum ab infidelibus non baptizatis, etiam in locis, ubi viger Decretum Concilii, validum est, quia est lex Ecclesiastica, cui non subjiciuntur Infideles.

Specialis Difficultas de Matrimonio, in Hollandia celebratis.

Utrum Matrimonia in federatis Belgii Provinciis, in quibus publicatum fuit Trident. Decretum per Margaritam Parmensem de Mandato Philippi II. contracta, non servata Concilii Trident. forma, sint valida?

Difficultatem hanc, diù inter Theologos contraversam ad instantiam Illustrissimi, ac multis mihi titulis celeberrimi, Guillelmi DELVAUX, Episcopi Iprensis, dirimit tandem sanctissimus ac sapientissimus Pontifex hodiernus Benedictus XIV. Constitutione, quae incipit *Matrimonia*, data 4. Novembris 1741. in qua sic statuit, ac definit.

„Primo scilicet quod attinet ad Matrimonia ab Haereticis inter se, in locis federatum Ordinum dominio subiectis, celebrata, non servata forma per Tridentinum praescripta, licet Sanctitas sua non ignoret, aliàs in casibus quibusdam particularibus, & attentis tunc expositis circumstantiis, S. Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse; quæ tamèn compertum habens, nihil adhuc generatim, & univèrsè super ejusmodi Matrimonii fuisse ab Apostolica Sede definitum, & alioquin oportere omninò ad consulendum univèrsis fidelibus in his locis degentibus, & plura avertenda gravissima incommoda, quid generalitèr de hisce Matrimonii sentiendum sit, declarare: negotio maturè perpensò, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo libratis, declaravit (sua Sanctitas) statuitque: Matrimonia in dictis federatis Belgii Provinciis inter Haereticos usquè modo contracta, quæque in posterum contrahantur, etiamsi forma à Trident. praescripta non fuerit in eis celebranda servata, dummodo aliud vir obstiterit Canonico impedimento, pro validis habenda esse; adeoque, si contingat, utrumque conjugem ad Catholicam Ecclesiam sinum se recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipsos omninò teneri, etiamsi mutuo consensu coràm Parocho Catholico ab eis non renoventur; sin autem unus tantum ex conjugibus, sive masculus sive femina, convertatur, neutrum posse, quamdiù alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

„Quod verò spectat ad ea conjugia, quæ pariter in istis federatis Belgii Provinciis absque forma à Tridentino statuta contrahuntur a Catholicis cum Haereticis, sive Catholicis vir Haereticam feminam in Matrimonio ducat, sive Catholica femina Haereticum viro nubat; dolens in primis, quàm maximè Sanctitas sua, eos esse inter Catholicos, qui insano amore turpièr demerant ab hisce detestabilibus con-

„nubiis, quæ S. Mater Ecclesia perpetuò damnat atque interdidit, ex animo non abhorret, & prorsus sibi abstinentium non ducunt; laudansque magnopere zelum illorum Catholicos, qui severioribus propositis spiritualibus pœnis Antiheticos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo sese Haereticis conjungant: Episcopos omnes, Vicarios Apostolicos, Parochos, Missionarios, & alios quoscumque Dei & Ecclesiae fideles Ministros, in iis Partibus degentes, serio graviterque hortatur, & monet, ut Catholicos utriusque sexus ab hujusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem incedendis, quantum possint, absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficacitèr impedire satagent. At, si forte aliquod hujus generis Matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum jam sit, aut in posterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, declarat Sanctitas sua, Matrimonium hujusmodi, alio non concurrente Canonico impedimento, validum habendum esse, & neutrum ex conjugibus, donec alter eorum supervixerit, ulatenus posse sub obtentu dicæ formæ non servatæ, novum Matrimonium inire; id verò debere sibi potissime in animam inducere conjugem Catholicum, sive virum, sive feminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, penitentiam agat, ac veniam à Deo precetur, coneturque pro viribus alterum conjugem à vera fide deerrantem ad gremium Catholicæ Ecclesiae pertrahere, ejusque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret; sciens de cætero, ut mox dictum est, se iustius Matrimonii vinculo perpetuò ligatum iri.

„Ad hæc declarat Sanctitas sua ut quidquid hactenus sancitum, dictumque est de Matrimonii, sive ab Haereticis inter se, sive inter Catholicos & Haereticos, in iis locis federatorum Ordinum Dominio in Belgio subiectis, sancitum dictumque intelligatur etiam de similibus Matimoniis extra fines Domini eorumdem federatorum Ordinum contractis ab iis, qui additi sunt Legionibus, seu Militaribus copiis, quæ ab eisdem federatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque arces conterminas, vulgò dictas *adi Bariera*; ita quidem ut Matrimonia ibi præter Tridentini formam: sive inter Haereticos utriusque, sive inter Catholicos, & Haereticos, inita, valorem suum obtineant, dummodo uterque conjux ad easdem copias sive legiones pertineat; & hæc declarationem vult Sanctitas sua complecti etiam civitatem Mosæ Trajectensis à Republica federatorum Ordinum, quamvis non jure Domini, sed tantum oppignorationis, ut sunt, nomine possessam.

„Tandem circa conjugia, quæ contrahuntur, vel in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis federatis domicilium habent, vel in federatis Provinciis ab habitantibus domicilium in Regionibus Catholicorum Principum, nihil Sanctitas sua de novo decernendum, aut declarandum esse duxit; volens, ut de iis, juxta Canonica Juris communis principia, probatasque in similibus casibus aliàs editas à Sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, dedicatur: & ita declaravit, statuitque, ac ab omnibus in posterum servari præcipit. Die 4. Novembris 1741. A. Card. Gentili S. C. Concilii Præf. C. A. Archi Philippen. Secret.

Observanda circa praefatam Constitutionem.

Observandum 1. inter varias rationes, quibus moveri potuit Pontifex, ut sic statueret, hæc videri præcipuas. 1. Quia observantia Decreti Trident. in his partibus est moralitèr impossibilis ipsis Haereticis. 2. Quia foret Religioni perniciosa, quatenus Haereticis, advertentes sua Matrimonia à Catholicis haberi illegitima, & proles suas spurias, non solum quemvis alium contrahendi modum, sed etiam omne aliud Religionis exercitium interdicent Catholicis, siquæ recrudesceret persecutio. 3. Quia noceret saluti contrahentium, obstaretque eorum conversioni. Pone enim, unum ex duobus Haereticis conjunctis velle se convertere; debet iterum contrahere coràm Parocho Catholico, quod numquam obtinebit à comparte haeretica; aut tenebitur illam & proles deserere, quod patitur undequaque gravissimas difficultates, vix superabiles, sitque obex conversioni. 4. Celebrato Matrimonio coràm Magistro Haereticò: aut coràm Ministro & testibus, habetur finis, quem intendit Concilium, scilicet certitudo Matrimonii.

Observandum 2. Hoc Decretum spectare tantum federatum Belgium, ut patet ex ejus tenore. An verò in aliis Provinciis vel Regnis, in quibus etiam promissè vivunt Haereticis cum Catholicis, & in quibus Decretum Trident. fuit promulgatum, ut in Germania, sint pariter valida Matrimonia absque forma Tridentini? R. vi præsentis Decreti non esse valida, quia, ut dictum est, spectat tantum federatos Belgas. Si tamèn eadem rationes currant, quæ in Belgio, præsumendum videntur



Ecclesiam benignam matrem relaxare suam legem respectu illorum, sicut respectu Belgarum, non in favorem Hæreticorum rebellium, sed in favorem Religionis & Catholicorum: *Et hoc maxime ex eo colligitur, inquit noster Wigand Scriptor Germanus, quod, si ambo conjuges Hæretici sicut Catholici non deum contrahant coram vero & proprio Parocho Catholico; quod tamèn planè esset necessarium, quia sicut antè vixissent, sic & postèa semper viverent in fornicatione & concubinato.*

Observandum 3. Hoc Decreto dicimur tantum quæstionem de Matrimonii Hæreticorum inter se, aut Catholicorum cum Hæreticis, non Catholicorum inter se, ut patet ex textu. Undè de his ultimis remanet difficultas: ad quam R. Matrimonium Catholicorum inter se, in Provinciis fœderatis, & aliis, absque forma Trid. contracta, esse irrita, nisi ista loca careant omnino Episcopis, aut Parochis, aut aliis Sacerdotibus ad id delegatis; aut certè ita absint, ut ad eos tutus accessus non pateat: Ità respondisse S. Congregationem Octavio Episcopo Tricariensi per Belgium Nuntio Apostolico, testantur Sylvius Chapeville, Henricus à S. Ignatio: eamque declarationem authenticam refert Zypeus Juris Pontif. novi Analayt. enarrant.

## TRACTATUS DE STATU RELIGIOSO.

D. Th. 2. 2. à q. 186. ad ult.

### DISSERTATIO I.

DE HIS, IN QUIBUS PRINCIPALITER CONSISTIT STATUS RELIGIOSUS.

#### ARTICULUS I.

D. Thom. Quæst. 186.

Quid sit Status in communi? Quid Status perfectionis?

**D**ico 1. Nomen Status dupliciter sumi potest: 1. Generaliter pro quavis vite conditione, in qua quis, sive ad tempus, sive perpetuò permanet, quo sensu dicitur Status Ecclesiasticus, status secularis, status viduarum, status presentis vite, status futuræ, &c. 2. Strictè pro immobili vite conditione, per quam quis alteri perpetuò adstringitur: *(Hic q. 183. art. 1. a.)* Nomen enim status importat quendam firmitatem & rectitudinem: sic homo rectus & quiescens dicitur stare; si jaceat, aut moveatur, non dicitur stare: Hoc sensu distinguuntur tres status in Ecclesia; scilicet status Episcoporum, Religiosorum, & Conjugatorum: Episcopi enim vinculo perpetuo adstringuntur obsequio suæ Ecclesiæ; Religiosi divino cultui; Conjugati mutuo obsequio: sic tamèn quod Episcopus & Religio sint status spirituales; Conjugium autèm status secularis. Itèm quod Episcopus & Religio sint status perfectionis. Quod ut intelligatur,

Dico 2. *(Ib. q. 184. art. 1. a.)* Perfectio Christianæ vite attenditur specialiter secundum charitatem: quia unumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio; atque charitas est, quæ unit nos Deo, qui est finis ultimus humanæ mentis; *Qui enim manet in charitate, in Deo manet & Deus in illo.* 1. Joann. 4. ergo.

Dico 3. *(Ibid. art. 3. a.)* Posito quod perfectio Christianæ vite attendatur specialiter secundum charitatem, sequitur, quod per se & essentialiter consistat in observatione præceptorum ipsius charitatis Dei & proximi, & aliorum præceptorum, sive divinarum, sive humanarum, quorum violatio sit contraria charitati, secundario autèm & quasi ministerialiter in observantia consiliorum, quæ ordinantur ad charitatem: non quidem sic, quod sine illis non possit haberi charitas, sed quatenus removeant ea, quæ maxime impediunt exercitium charitatis, licèt eam non extinguant, ut sunt matrimonium, occupatio negotiorum secularium, & alia hujusmodi.

Dico 4. *(Ibid. art. 4. & 5. a.)* Ex dictis sequitur id, quod antè diximus, Episcopatum & Religionem esse status perfectionis; quia ad statum perfectionis requiritur obligatio perpetua ad ea, quæ perfectionem promoveant, cum aliqua solemnitate; status enim, ut diximus, importat permanentiam, &

libr. 4. tit. de sponsalibus. Neque enim rationes, prima Observatione deductæ, militant pro Catholicis inter se contrahentibus, sicut pro Hæreticis inter se, vel cum Catholicis contrahentibus. Perinde est autèm, Parochus absit, sive adsit, sed cui prohibuitur est sub poena mortis, aut alia gravi, Matrimonii celebrationi assistere. Ità respondit Estius D. Mitæ Episcopo Antuerpiensi; quia paria videntur, absesse Parochum sic, ut tutus ad eum accessus non pateat; & Parochum adesse, sed sic ut ejus opera tutò uti non liceat; quia utrobique est periculum accedendo ad Parochum.

Observandum 4. Quantum ad Matrimonia, contracta in Urbibus vulgò dictis *Barriere*, ut sint valida, utrumque conjugem debere pertinere ad legiones, seu copias, quæ transmitti solent ad eas arcas custodiendas. Undè, si miles ex his copiis velit ducere uxorem civilem, debet servare in hoc, sicut in aliis, leges locales, ideòque contrahere secundum formam Trid. Ità autèm omnes & soli censentur pertinere ad illas copias, qui Juri militari subeunt; nonannonarii, aut similes, qui copias sequi solent.

Petes, qui status sit perfectior, Episcoporum, an Religiosorum? R. *(Ibid. art. 2. a.)* Status Episcoporum esse perfectiorem statu Religiosorum. Quia semper agens est præstantius patiente; atque in genere perfectionis Episcopi se habent ut perfectiores, & Magistri, qui perfectionem doceant, Religiosi verò ut perfecti, seu perficendi, & discipuli instruendi, qui acquirendæ perfectioni student; quorum prius, ut patet, pertinet ad actionem, secundum ad passionem: ergo. Et ideò status Episcoporum dicitur status perfectionis acquirentis; status autèm Religiosorum status perfectionis acquirendæ.

Neque dicas, Religiosos adstringi tribus votis paupertatis, continentie, & obedientie, quibus, saltèm votis paupertatis, & obedientie, non adstringuntur Episcopi; nam ad aliquid majus his adstringuntur Episcopi, nempe ad ponendam animam pro aliorum salute, *(Ibid. ad 1.)* Insuper, præterquam quod teneantur ad castitatem, temporaria sua debent erogare storum subditorum necessitatibus, sicque in præparatione animi esse pauperes, quod pertinet directè ad perfectionem, quam paupertas in actu, quæ est tantum perfectionis instrumentum. Itèm cum Religiosi uni tantum Prælati obediant, Episcopi omnium suorum subditorum se servos constitunt, dum non quod suum, sed quod illorum est, teneantur quærere: undè à Post. 2. Cor. 4. *Non nosmetipsos predicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autèm servos vestros per ipsum:* atque hinc, juxta S. Thom. Opusculo de perfectione vite spiritualis c. 17. consuetudo obtinuit, ut summus Pontifex se scribat servum servorum Dei.

#### ARTICULUS II.

In quibus principaliter consistat Status Religiosus?

**N**ota: Religio tripliciter sumitur. 1. Pro virtute, qua Deus ut supremus omnium Dominus colitur, de qua sat aliubi diximus. 2. Pro quadam formula cultus divini omnibus communi, per quam homo addicitur obsequio divino, quantum est præcisè necessarium ad salutem; qualis nunc est Religio Christiana, & fuit olim Judaica. 3. Pro quadam speciali formula cultus divini, per quam homo ex libera sua electione totaliter mancipatur divino obsequio: continet omnia, ad quæ obligat Religio Christiana, & alia superaddit, quæ maxime ad perfectionem conducunt. Undè *(Q. 186. art. 1. a.)* dicitur antonomastice Religio, & ejus Professores Religiosi vocabantur ab Apostolis, teste Dionysio c. 6. de celest. Hierar. Terapente a puro Dei obsequio & cultu. Eodem nomine vocat illos Phillo de contemptat. Itèm teste eodem Dionysio ibid vocabantur etiam ab Apostolis *Monachi a vita indivisibili, & singulari, qua in Deiformem monadem colligitur, & perficiuntur.* Secundum quam Etymologiam omnes Religiosi sunt Monachi. Attamèn secundum vulgarem significationem, & etymologiam hi soli dicuntur Monachi, qui vitam solitariam agunt, vel contemplationi sunt totaliter dediti; quo sensu Religiosi mendicantes non sunt Monachi; & constat ex Jure c. *Licet* 18. de Regular. c. *Nullus* 1. & c. 2. *Mandamus* 19. q. 3. In favorabilibus tamèn nomine Monachi veniunt omnes Religiosi, ut docet Panoritanus in c. *Ex parte* de postulat. Prælat. & alii.

Virgines, quæ Religionem profiterentur, jam tempore Augusti vocabantur *Sanctimoniales*, ut patet serm. 23. de verbis Domini. nunc, brevitate causa, vocantur *Moniales*. Dicebantur etiam *Nomæ* ex Hieron. Ep. 22. c. 6. Tam in his partibus, quam in Gallia, Hispania, & Italia Religiosi Sacerdotes, præsertim mendicantes, vocantur *Patres*, eo quod in plebem, & pauperes quoslibet paternum affectum, & officia præstant; quod nomen ideò est magis benevolentis, & charitatis, quam horis; quæ est nomen *Domini*, quo ceteri Religiosi, & sæculares Sacerdotes vocantur.

Dico. *(Q. 186. art. 6. a.)* Status Religiosus consistit in immobili vite conditione ab Ecclesia approbata, in qua homines per tria vota, paupertatis, continentie, & obedientie, & certam Regulam tendunt ad perfectionem. Explicatur, & probatur. Dicitur 1. *Immobilis vite conditio*; quia, ut diximus, status exigit firmitatem perpetuam. Undè, qui observaret paupertatem, castitatem, & obedientiam absque voto, non esset Religiosus, nec in statu Religioso, quia haberet libertatem resiliendi. Dicitur 2. *Ab Ecclesia approbata*, propter plures rationes. 1. Quia Status Religiosus est status spiritualis, & supernaturalis, distinctus a communi statu Christianorum, proindeque descendens a Christo, mediante Ecclesiâ; atque sine approbatione Ecclesiæ non foret status spiritualis distinctus a communi statu Christianorum, sed omnes forent Laici, potestati seculari subiecti, nisi qui essent ex illis Clerici, sed id non haberent vi Status, sed vi Ordinis: ergo.

2. Religiosus tenetur obedire Superiori, non solum ra-

tione voti, sed etiam, supposito voto & traditione sui, ratione jurisdictionis spiritualis, quam Superior habet in illum, sicut Episcopus habet in suos Dioecesanos. Undè Religiosus inobediens peccat duplici peccato scilicet peccato sacrilegii ratione voti, & peccato injustitiæ ratione jurisdictionis in Superiore, quam violat; atque talis jurisdictioni spirituali haberi non potest, nisi interveniat auctoritas Ecclesiæ.

Si dicas: Possum me alteri subicere eligendo illum in Superiore, eique votendo paupertatem, continentiam, & obedientiam; atque iste habebit jurisdictionem spirituales in me: ergo. R. N. Min. Non enim habebit aliam potestatem in te, quam eam, quam tu illi dases: non potes autèm illi dare in te jurisdictionem spirituales, cum eam in te non habeas; nemo enim in se habet jurisdictionem, qua se cogere possit, sibi que præcepti obligationem imponere; nemo autèm dat, quod non habet. Undè illa potestas erit tantum naturalis sed moralis, teneberisque solum illi obedire ratione voti, sicut si vovisses parere ejus consillis. Adde, quod sic non esses in statu spirituali, sed maneres Laicus.

3. Sine illa approbatione Ecclesiæ Religio non haberet stabilitatem, posset enim facile dissolvi secundum hominum instabilitatem: neque haberet securitatem; posset enim errores in statutis irrepere, sicut contingit in Religione Waldensium. 4. Denique ad statum Religionis requiritur non solum promissio ex parte votantis, sed totalis ejus traditio in cultum divinum, atque hujus traditionis acceptatio nomine Dei; non est autèm, qui nomine Dei possit acceptare, nisi Ecclesia, aut is, cui Ecclesia committit.

Porro per approbationem Ecclesiæ intellige nunc approbationem summæ Pontificis. Quamvis enim olim plures Religiones, ut SS. Antonii, Basilii, Aug. & Benedicti non fuerint approbatæ immediatè a Romanis Pontificibus, sed admixtæ, seu usu receptæ ab Episcopis, quibus tunc suberant, non contradicente Romano Pontifice; nunc tamèn a tempore Concilii Lateran. sub Innoc. III. hanc approbationem sibi reservavit Romani Pontifices: sic enim in Concilio, quod refertur cap. *Ne nimis* l. 3. Tit. 30. de Relig. domibus, legitur: *Ne nimis Religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam Religionem inventiat, scilicet absque approbatione summæ Pontificis, ut habetur in Rubrica, & patet, siquidem postea plures adhuc Religiones erectæ sunt cum approbatione summæ Pontificis. Idem statutum in Concilio Lugdun. sub Gregorio X.*

Hinc sequitur, quod Professio in Religione non approbata sit invalida, & quod proficiens probabilis non teneatur ad vota; tum quia Ecclesia non acceptat hanc professionem quoad illa; tum quia proficiens non intendit votare nisi in Religione, ut sic votando fiat Religiosus; quod cum in eo sit deceptus, non videtur teneri: imò id videtur certum quoad vota paupertatis, & obedientie, quia, cum possit hanc Religionem deserere utpotè nullam, non habet Superiorem a quo dependat in voto paupertatis, & obedientie.

Secus dicendum de quibusdam piis Institutis, quæ longo usu censentur ab Ecclesia approbata, non ut Religiones, sed ut pia Instituta; eorum enim Professio habet vim votorum simplicium, a quibus proinde proficientes non possunt eximi sine dispensatione Episcopi, qui illos ex causa potest absolvere a voto paupertatis, & obedientie, non tamèn a voto castitatis perpetuæ, quod reservatur Papæ.

Dicitur 3. *Per tria vota, paupertatis, continentie, & obedientie*, utpotè quæ sunt essentialia Religioni, ut probamus art. seq. Dixi: *Per tria vota simpliciter*, & non solemniter; quia, licèt Jure antiquo requireretur ad statum Religiosum quod tria vota essent solemniter, id est, quod esset totalis, & perpetua traditio ex parte votantis; & similiter perpetua acceptatio ex parte Superioris, seu Religionis; Jure tamèn novo sufficiunt vota simplicia. Declaravit enim Gregorius XIII. Bulla *Ascendente Domino*, vota emissa a Scholaribus Societatis Jesu post biennium probationis, esse simplicia (quia acceptatio ex parte Societatis non est absoluta, & perpetua, sed potest Professum dimittere) & tamèn eos esse vere Religiosos.

Dicitur 4. *Et certam Regulam*: Quia, licèt per se loquendo sufficiat ad statum Religiosum ea Regula, quæ divinis mandatis, & prædictis tribus votis continetur, si quidem hæc sufficiunt, ut doceant ad perfectionem; quia tamèn Ecclesia non consuevit approbare aliquem statum tamquam Religiosum absque aliqua particulari Regula, ideò requiritur, si non per se, saltèm per accidens, & ex institutione Ecclesiæ.

Dicitur 5. *Tendunt ad perfectionem*: *(Q. 184. art. 6. ad 2. & q. 186. art. 2. ad 1.)* Quia, licèt ut diximus, Religio sit status perfectionis, qui tamèn illum assumunt, non profitentur se esse perfectos, sed tendere ad perfectionem, sicut dis-

Kkkk

ci

Pe-